

undo ad finem ulteriorem, respicit illum ut medium, et attingitur actu electionis, qui formaliter non respicit finem in recto, sed medium. Et sic finis intermedius terminat duos actus, scilicet, intentionem et electionem sub diversis formalitatibus; intentionem ut finis est, electionem ut medium: ideoque illa intentio non est prima, quia non est de fine ultimo, sed inferior, et secunda, quia est de re, in qua non sistitur ultimo, sed transitur per illam ad ulteriorem finem, ideoque dat locum electioni.

IX. Dices: Ad quid requiritur electio circa illud objectum, si totum quod præstare potest electio, præstat intentio? Nam intentio illa inferior, et secunda attingit finem illum, non ut ultimum, et sistendo in illo, sed ut medium, et subordinatum alteri: ergo attingit illum cum transitu, et subordinatione ad alterum finem: ergo nihil superest, quod electio facere possit, quia electio solum est de medio, quatenus per illud transitur ad finem: ergo si totum istum transitum, et subordinationem præstat, intentio illa secunda; quid amplius facit electio? Respondetur nec idem nec eodem modo præstare intentionem, et electionem circa finem intermedium. Nam intentio respicit bonitatem illius finis, ut moventem ratione sui voluntatem, licet cum inferioritate, et subordinatione ad alium ulteriorem finem, nihil tractando de comparatione cum aliis mediis, aut inquisitione eorum, ut accipiatur, et appetatur ut magis conducens ad assecutionem illius finis, cui subordinatur, et sub ratione conducentiæ ad illum. Quando vero appetitur ab intentione, non appetitur sub ratione conducentis ad assecutionem; sed sub ratione boni moventis ad se, licet subordinati ad alteram bonitatem perfectiorem. Itaque in eo-

dem bono, seu fine intermedio, concurrunt duæ rationes: altera boni in se perfecti, et ratione sui moventis, sed perfectione minori, et subordinata superiori bono; altera boni non solum moventis, et allicientis appetitum ex se, sed ut conducentis ad assecutionem, licet utraque ratio, in eodem objecto, concurrat. Intentio ergo respicit illud bonum, ut inferius, et subordinatum alteri, seu minus bonum movens tamen, et placens ratione suæ bonitatis, licet inferioris, et subordinatæ. Electio autem respicit illud bonum, non ut movens ratione sui, sic enim consideratur ut assequibilis in se, sed ut conducens ad assecutionem alterius, et sic consideratur ut assequens, seu ut consecutivum alterius non solum ut assequibile in se, et sic ut assecutivum alterius, est medium et objectum electionis; ut assequibile in se est objectum intentionis: sed quia non est assequibile ultimum, non est objectum primæ intentionis, sed secundæ, et subordinatæ. Est autem necesse has duas actiones distinguere, quia postquam quis appetivit illum finem intermedium, sub ratione finis ut assequibilis, et bonitatis propriæ voluntatem moventis, restat ipsam conducentiam mediorum ad finem consequendum, considerare, et de eis inquirere et consulere si plura sint, et ferri in talem finem, non jam ut finem assequibilem, sed ut assecutivum superioris finis, et cum comparatione ad alia media (si dentur, præoptandum; et sic sub ratione assecutivi, ad electionem pertinet, et ut medium consideratur, atque adeo non ad intentionem, quia non respicit illum finem, ut præcise bonum assequibile, sed ut medium assecutivum finis.

X. Ad secundum respondetur, non esse necessarium, quod præter finem proximum detur alius ultimus

ab illo distinctus, quia potest intentio agentis sistere ultimate in uno fine tantum, qui est proximus, id est, immediatus, et similiter ultimus, et sic non dabitur tunc finis intermedium, id est, subordinatus superiori fini. Potest etiam dari finis ultimus in aliqua serie, et ordine, qui tamen non habeat sub se alium proximum, et subordinatum; sed idem dicetur proximus, et immediatus quatenus ibi primo terminatur actio, seu intentio agentis; et dicetur ultimus, quatenus ibi sistit, et ad ulteriorem finem non transit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XI. Primo arguitur auctoritate Aristotelis, qui II physicorum, textu XXIX, dicit finem esse id cujus gratia cætera fiunt. Et idem habet II metaph. textu VIII: « Ipsum, inquit, cujus causa, finis: talis autem est, quod non est alterius gratia, sed cujus gratia cætera. » Sed finis intermedium, est alterius gratia, et non sunt cætera ipsius, si quidem subordinatur fini ulteriori, et sic finis intermedium est alterius gratia, scilicet, gratia finis ultimi: et non sunt cætera, gratia ipsius, si quidem ipse, et alia omnia subordinantur fini ultimo: ergo non convenit illi definitio finis, quam ponit philosophus, scilicet, quod gratia illius cætera fiant, id est, omnia, quod solum convenit fini ultimo in aliqua serie, et ordine. Addit philosophus in hoc loco metaphysicæ, quod si datur finis ultimus, non datur processus in infinitum, quia si non sit finis ultimus, non manebit aliquid cujus gratia aliquid fiat. Quæ ratio nihil omnino probat, si ponimus dari fines intermedios, si quidem etiam remoto fine ultimo, manebit aliquid, in quo salvetur

ratio finis, scilicet, finis intermedium.

XII. Confirmatur, quia juxta philosophum, VIII ethicorum, cap. II, et D. Thomam I p. q. v, art. VI, solum est triplex genus boni, scilicet, bonum delectabile, honestum, et utile. Sed solum duo prima, possunt habere rationem finis, scilicet, honestum, et delectabile: ergo id quod est intermedium, non habet rationem finis. Patet consequentia, quia intermedium non habet rationem intermedii, nisi quatenus utilis; si enim in se habeat aliquid honesti, vel delectabilis, pro hac parte non erit medium, sed vere et proprie ultimum in illa linea, et serie: nec aliquis negat, quod id quod in se habet aliquid honesti, vel delectabilis, possit ratione hujus habere rationem finis; difficultas autem est de altero membro, scilicet, de utili, quod est medium, an possit etiam habere rationem finis? Aristoteles autem solum concedit rationem finis delectabili et honesto: ergo utile, seu medium, nunquam potest habere rationem finis, ita ut sit finis intermedium formaliter loquendo; licet materialiter eadem res, quæ est medium in una serie, seu ordine, possit esse finis in alio, sed ibi erit finis ultimus non medius; quia est ut delectabile, vel honestum, non ut utile.

XIII. Respondetur in illa definitione Aristotelis de fine, cujus gratia cætera fiunt, vel intelligi cætera non absolute sed proportionate, et respective, id est, quæ sub tali fine continentur; et sic comprehendit etiam finem intermedium; vel intelligi ly cætera absolute, et simpliciter, et tunc solum definit ibi finem ultimum, non omnem finem, etiam intermedium. Veritas tamen est, quod in priori loco ex secundo physicorum, non ponit Aristoteles illam particulam cujus gratia cætera

fiunt, in translatione antiqua qua utitur D. Thomas, sed tantum quod finis, et quid cujus causa, ut ambulandi sanitas, licet in versione Argyropoli ponatur, quod finis est cujus gratia cætera fiunt. Sed hanc particulam cætera, adjectam esse ab Argyropolo, non autem haberi in textu Græco, docet Ægidius ubi supra quæst. III, articulo unico, §. II, n. xv.

XIV. In loco tamen allegato ex secundo met. sicut et in primo ethicorum, c. VII, textu xxv, definit Aristoteles finem, ponendo illam particulam cujus gratia cætera fiunt; sed hoc ideo est, quia ibi agit solum de fine ultimo; in ethicis quidem, quia agit de ultima felicitate, ut D. Thomas ibi, cæterique expositores docent. In metaphysicis autem, quia ibi ostendit non dari processum in infinitum in causis finalibus, ideoque debere dari ultimum finem, alias tolleretur ratio finis, si non daretur ultimum, in quo sisteretur. Et occasione hujus, declarat quid sit ultimus finis, dicens, quod est id cujus gratia cætera fiunt, quod est verum de ultimo fine simpliciter, cui subordinantur omnia.

XV. Ad id vero quod objicitur circa consequentiam Aristotelis quod non valet, si datur finis intermedius, respondetur tenere illam consequentiam, quia finis intermedius, nunquam exercet rationem finis, nisi supponendo finem ultimum, cui subordinetur, et ex cujus intentione agat; sicut neque causa efficiens secunda operatur, nisi in virtute primæ, quæ illam movet. Et hoc ideo, quia finis intermedius operatur ut finis, et bonum subordinatum ulteriori fini, et simul habens vim medii assecutivi. Si autem est processus in infinitum, nec sistitur in aliquo, cui ultimo subordinetur, nunquam finitur subordinatio: ergo neque motio istius pro-

ximi, et immediati finis, si quidem non movet, nisi ut subordinatum. Similiter non potest vim assequendi habere tamquam medium, si nunquam finienda, et terminanda est assecutio: et nisi præcedat in intentione ultimus finis, quia ultimus in executione est primus in intentione; quod si est processus in infinitum in finibus, nihil horum fiet.

XVI. Ad confirmationem respondetur verum esse, quod solum in illis duobus generibus honesti, et delectabilis, invenitur ratio finis; sed dicimus ibi esse duplicem speciem finis, scilicet, ultimi, et medii: quia finis medius etiam est delectabilis, vel honestus, sed non ultimo et simpliciter, sed subordinate, et cum ordine ad alterum. Et talis finis habet rationem finis in hoc, quod est posse appeti, et intendi ratione sui; sed quia hæc ipsa ratio inferior est alteri, dicitur non esse ultimum, sed subordinatum. Non repugnat autem aliquid ratione sui appeti, et tamen cum subordinatione ad alterum, a quo dependet illa ratio sui; sicut causa agit ratione propriæ virtutis, licet dependens sit illa virtus, a causa superiori: et substantia existit per se, licet in hoc ipso dependeat ab alio, a quo creatur, et conservatur. Et cum dicitur quod solum est difficultas de medio, quatenus utili, an possit esse finis, quia sub ratione honesti, aut delectabilis, nulla est dubitatio, respondetur quod difficultas non est de bono utili formaliter, quatenus utile, et ut medium; sed de utili concomitanter, quatenus habet adjunctam rationem delectabilis, vel honesti, non simpliciter, et absolute, sed subordinate ad alterum, ita quod non ut medium, sed ut finis subordinatus, et medius, et ut honestum, vel delectabile subordinatum, et inferius appetatur, et sic necessario habet adjunctam rationem medii

utilis, sed tamquam distinctam formalitatem. Quæ distinctio, (ut supra diximus) stat in hoc, quod ut medium appetitur sub formalitate assecutivi, et tendentis ad assecutionem finis; ut finis intermedius appetitur ut aliquid assequibile, sed subordinatum, et inferiori modo ad bonitatem majorem, quæ est finis ultimus.

XVII. Secundo arguitur, quia ut S. Thomas docet I part. q. XIX, ar. v, et aliis locis, Deus non dicitur velle unam creaturam propter aliam, tametsi velit unam creaturam esse propter aliam, eo quod Deus non movetur ab aliqua creatura, tamquam a fine, sed solum a semetipso; sed si unum medium esset vere causa finalis respectu alterius medii, posset una creatura, etiam comparatione divinæ voluntatis, esse volita propter aliam: ergo si non potest, signum est, non posse aliquod medium obtinere rationem finis, respectu alterius medii sibi inferioris, et subordinati. Minor probatur. Nam si respectu voluntatis creatæ, unum medium est vere causa finalis comparatione alterius medii, utique illa voluntas diceretur velle unum medium propter aliud: ergo similiter si respectu voluntatis divinæ daretur unum medium, quod esset finis alterius, posset dici, quod voluntas divina vult unum propter aliud; licet illud non sit respectu sui, causa finalis, sicut propter suam essentiam vult alia, et tamen sibi ipsi, Deus non est causa finalis.

XVIII. Confirmatur, quia utile nunquam potest appeti gratia sui in ea linea et serie, in qua utile est, seu medium; ergo neque alia possunt appeti gratia ipsius; et consequenter neque habere ipsum pro fine. Consequentia patet, quia bonitas quæ non sufficit, ut appetatur gratia sui, quomodo sufficere, ut aliud gratia

sui ametur? Antecedens vero probatur, quia utile, seu medium in quantum utile est, habet solam bonitatem relatam, scilicet, prout conducit, et deservit ad alterum, non absolutam, et secundum se; sic enim non amabitur ut utile, sed ut finis, seu ut bonum absolutum: ergo prout utile, formaliter loquendo, non amatur gratia sui, et absolute ad alterum, seu gratia alterius. Quod si simul eadem res sit finis in uno ordine, et serie, et medium in altera, poterit quidem in diversa serie appeti ut finis, et medium, quod non negat opposita sententia, non tamen in eadem linea et serie, in qua est medium et utile; de quo solum est controversia.

XIX. Respondetur quod ut recte observat Cajetanus super illum locum primæ partis, idque deducit ex D. Thoma in primo contra gentiles, cap. LXXXVI, et LXXXVII, quando dicit D. Thomas quod Deus non vult unum propter aliud, loquitur ex parte actus volendi, quasi unus actus volitivus sit ratio, et causa alterius; non tamen negat, quod velit unum propter aliud, ex parte rei volitæ. Et hoc videtur intendere processus D. Thomas in illo articulo quinto, q. XIX, si quidem probat, quod in Deo velle finem, non est causa volendi medium, quia unico actu utrumque vult; concedit tamen Deum velle ordinare media ad finem ex parte rei volitæ. Quare falsum est dicere, quod D. Thomas ideo probat, non velle unam creaturam propter aliam, quia non movetur a creatura, ut a fine (nec enim hanc probationem assumit) sed quia unico actu vult finem, et media, ideo velle finem, non est ei causa volendi media; quia intendebat ibi probare, quod ex parte actus una volitio, non est causa alterius; nec velle finem, est ratio volendi media, sed unico actu vult finem, et media, et vult

quod ex parte rei volitæ, media sint propter finem eique subordinentur, et eadem ratione vult finem intermedium subordinari fini ultimo. Nec tamen ex hoc sequitur, quod intermedius movebit divinam voluntatem, ut ratio volendi movens, licet respectu creatæ voluntatis, finis intermedius moveat etiam ratione sui, modo tamen inferiori, et subordinato. Et disparitas est, quia cum finis intermedius sit bonitas inferior et creata, comparatur ad divinam voluntatem ut effectus, non ut ratio, causaque volendi. Respectu autem voluntatis creatæ, non comparatur ut effectus, sed ut objectum, et motivum alliciens. Ideoque rationem motivam finis, erga ipsam habere potest, non vero respectu voluntatis divinæ. Habebit tamen respectu voluntatis divinæ rationem finis participati ab ea, et subordinati ut moveat creatam voluntatem, non solum ut medium, sed ut finis subordinatus quam tamen motionem respectu Dei exercere non valebit, sed solum ab ipso accipere habet, quod sit finis.

XX. Ad confirmationem respondetur quod utile dicitur dupliciter. Uno modo bonitate pure relata, et ex participatione finis tantum: alio modo bonitate, non pure relata, sed cum fundamento bonitatis alicujus absolutæ, subordinatæ tamen fini ulteriori, et deservienti etiam ipsi assecutioni finis, et rationem medii habenti. D. Thomas in primo ethicorum, sectione ix supra citata distinxit penes bonum tantum participatum a fine sicut potio amara ad sanitatem; et penes bonum quod habet in se bonitatem formaliter, et tamen appetitur propter aliud, sicut medicina saporosa. Talia enim bona sunt quidem utilia, et deserviunt tamquam media: sed aliter quod aliquam bonitatem in se supponunt, de se quidem appetibilem, sed tamen

subordinatam ipsi fini, et sic assumptam convenienter pro medio assecutivo alicujus finis. Quod ergo est utile primo modo, tamquam pure relatum ad finem, et ex ordine ad illum præcise appetibile, non potest appeti ullo modo gratia sui, sed præcise ratione alterius; et de tali utili locutus est philosophus in octavo ethicorum, cap. ii, quando dixit, quod utile non potest appeti gratia sui. Utile autem secundo modo, etiam ratione sui appeti potest, et intendi, quatenus finis est, et bonitatem habet in se appetibilem, licet subordinatam ulteriori fini; et hoc ipsum in quo est appetibile subordinate, potest conducere ut convenientius utile sit, et medium assecutivum, non solum bonum assequibile. Et cum instatur, quod hoc habet res illa materialiter et pro diversa serie, et ordine, et sic in uno ordine erit finis, sed non intermedium; in alio autem erit medium, sed nihil habebit de fine, respondetur quod etiam intra eandem seriem, et lineam appetibilium utrumque habet, licet sub diverso respectu, et formalitate; appetitur enim ut medium, et ut utile, quatenus est assecutivum finis; et appetitur ut finis, quatenus est appetibile in se, subordinatim tamen ad aliud majus bonum, et hoc totum habet in ea linea et serie, in qua subordinatum est, et una ex his rationibus, seu formalitatibus conduit, et adjuvat ad alteram, id enim quod in se alias est appetibile, facilius et congruentius acceptatur ut medium, sicut medicina saporosa congruentius appetitur, quam amara, si alias conduxit ad finem. Et hoc ipsum, quod est aptari, et conducere ad finem ut assecutivum ejus, etiam juvat, ut res magis appetatur. Quare hoc non convenit rei intra diversam seriem, et lineam, quia non in diversa subordinatione ad diversum

bonum, et finem; sed in eadem, sub diverso tamen respectu, scilicet, sub respectu medii assecutivi, vel boni in se assequibilis, sed inferioris ad aliud bonum.

ARTICULUS V.

Utrum possit aliquis simul duos ultimos fines habere; vel in infinitum procedere in finibus?

I. Supponendum est, non posse dari processum in infinitum in finibus appetendis, sed semper debere sisti in aliquo ultimo. Id ostendit D. Thomas in hac quæstione, art. iv, et iii contra gentiles, cap. ii, et in ii met. lect. iv, ubi explicat rationes, quibus id Aristoteles ibidem probat textu octavo. Et quidem cum finis non moveat, neque alliciat, nisi ad agendum, idem erit dari processum infinitum in finibus, seu in causis finalibus, atque dari processum infinitum in agentibus. Qui processus infinitus improbat in octavo physicorum, textu xxxiv, et a D. Thoma i part. q. ii, art. iii, et i contra gentiles, c. xiii, et nos id explicavimus late in octavo physicorum, q. xxiv, et i tomo, i p. disp. iii. Eodem autem modo improbat processum in infinitum in causis finalibus: quia si infiniti fines essent in movendo, ita quod non assignaretur ultimus, in quo sisteretur, non posset aliquis motus, seu actio de novo incipere, neque in ordine intentionis, neque in ordine executionis; cujus tamen contrarium experientia docet, cum multa quotidie videamus de novo fieri. Quod vero non possit ordine intentionis aliquid incipere, si non datur ultimus finis, constat: quia tunc non datur una prima, et determinata intentio, sed qualibet data, alia assignari debet, si quidem in-

tentio est de fine, et si dantur infiniti fines, dantur infinitæ intentiones, et sic non est assignare unam primam, unde incipiat motus. Motus autem, qui hic et nunc incipit, dependet ab omnibus illis finibus, quia si non ab omnibus dependet in infinitum, sed tantum a determinatis et finitis, ibi debet dari ultimum, quia ubi est numerus finitus, est ultima unitas. Si vero dependet ab infinitis, nunquam assignatur prima dependentia, et influxus; ergo neque prima incæptio motus: neque prima intentio: sine intentione autem determinata, non fit determinata executio, et inchoatio motus. Videmus autem fieri multas actiones, et motus de novo; ergo et dari primas, ac determinatas intentiones, atque adeo sisti debere in fine aliquo. Ex parte etiam executionis, non inciperet aliquid de novo, si non esset ultimus finis; quia remoto ultimo fine, removetur omnis intentio; ergo et omnis electio eorum, quæ sunt ad finem, quia hæc ab intentione essentialiter oritur, sicut conclusio a principiis. Si autem movetur electio, non datur aliquod medium, per quod assequatur finis, assecutio enim fit per media. Remoto autem omni medio assecutivo, removetur omne principium per quod fit operatio, et motus, et sic nullus inciperet aliquid operari, nec terminaretur consilium, et inquisitio, sicut nec determinaretur, et figeretur intentio, et sicut in speculativis successio principio, nulla infertur conclusio.

II. Hæc est vis rationis D. Thomæ in præsentia, ad quam cæteræ reducuntur, quæ in aliis locis citatis afferuntur. Dicit tamen D. Thomas hanc rationem probare, et procedere in finibus per se subordinatis, et conjunctis. Procedit etiam ratio de ultimo fine respectu determinatæ actionis, et in quacumque